



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 19. Ejusdem Pontificis gesta in Pontificatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII. die trigesima octava Julii prolixo sermo-
A.C. 1644. num tractu, cum Deo ac Cælicolis colloquia socians, jam gloriosissimam Triadem, & Christum Salvatorem, ejusque Matrem ingeminabat, sæpius per Christi merita misericordiam & malæ voluntatis veniam deprecans; tandem vero altera die post expletos in Pontificatu unum & viginti annos minus septem diebus Romæ pie in Domino obiit annos natus septuaginta sex, Menses quatuor. & viginti quatuor dies. Sepultus est in Vaticana Ecclesia in tumulo statuis & columnis ornatissimo, quem sibi vivens juxta Pauli III. sepulcrum erigi curavit.

§. XIX.

Ejusdem Pontificis gesta in Pontificatu.

*Vit. Siri-
mem. Chronicon Pia-
sec. Palatinus & Cia-
con. l. c.*

Haud immerito Urbanus Papa ob animi sui candorem, doctrinæ profunditatem, prudentiam, morum comitatem, raramque in rebus politicis cognitionem celebratissimis ævi sui Principibus annumerandus esset, dummodo nimia erga suos Nepotes indulgentia non minus Pontificatus sui initia, quam finem sperata felicitate, atque exoptata gloria destituisset: quapropter plura in vivum & defunctum hunc

hunc Papam Romæ Pasquinus debla- Sæc. XVII.
 teraverat, quæ tamen æque ac hære- A. C. 1644.
 ticorum calumnias & mendacia nequi-
 dem inculpatissimi Pontificum mores
 effugere potuissent, aliunde vero hæc
 dicteria publicis, ac frequentissimis in
 Urbani laudem ubique affixis inscriptio-
 nibus, veluti tot meritorum monumen-
 tis sat aperte convelluntur: Ea enim
 huic Pontifici ab ipsis etiam hostibus
 debetur gloria, quod magni ingenii,
 probitatis, eloquentiæ ac eruditionis
 Vir nonnisi magna in suo Pontificatu
 gesserit. Præprimis vero Vaticanam
 Basilicam marmoreis statuis, arisque
 magnificis, necnon Divi Petri Confes-
 sionem stupendi operis Mausolæo ex
 ære Corinthio auro superinducto, &
 S. Bibianæ S. Caii, & sancti Sebastia-
 ni Tempia, necnon Baptisterium Late-
 ranense, & Bibliothecam Vaticanam
 ornavit, Regiisque plane sumptibus
 restauravit, locupletavitque. Insuper
 Romanam urbem mænibus cinxit, no-
 voque armamentario, & arcem S. An-
 geli validioribus propugnaculis muni-
 vit, & ditionis Pontificiæ fines arce Ur-
 bana a fundamentis erecta, Centumcel-
 larum Portu, Anconitana & Urbevetana
 arce firmavit. Singulare autem pa-
 cis studium præseferabat Urbanus, hinc
 Franciscum Barberinum Nepotem suum

Sæc. XVII. A. C. 1644. pro avertendo Italix bello ad Reges & Principes, ac paulopost ad Imperatorem ad pacem in Germania, atque inter Franciæ & Hispaniæ Reges componendam ablegabat, necnon Vallis Tellinæ & Montferrati dissidia feliciter componebat. Nec etiam excolendis scientiis munificam subtraxit dexteram, quippe Gymnasium Romanum ornatus ac amplius instituit, & pro juvenibus nationis Germanicæ pietate ac literis imbuendis Collegia Fuldense, Vienneuse, Pragense & Illyricum Laureto restituit: denique varia posteris reliquit ingenii sui monumenta, quæ inter celebrantur ejusdem Paraphrases in quosdam Psalmos & Cantica, variæ Constitutiones & decreta præter epigrammata in Viros illustres, & exhortationem ad virtutem; Publicavit etiam Pontificale Romanum & Martyrologium sua auctoritate recognitum; edidit quoque hymnos in Christi, Deiparæ, aliorumque Sanctorum, præcipue S. Theresiæ festos dies, abolitisque antiquis novos hymnos a se vel emendatos, vel ex integro conditos in Divinorum officiorum celebratione decantari præcepit.